

liberationem. Atqui Christus non nisi 700 annis post utrumque hoc effatum *Isaiae* natus est; ergo in neutro hoc effato *Isaiae* sermo est de Christo puero, saltem in sensu literali (1).

Ceterum, quod puer de quo *Isa.* c. 7, v. 16, sermo est, non sit *Emmanuel* seu Christus, de quo ibidem v. 14 et 15, sermo erat, fateatur etiam *Sanctius* (2) his verbis: *Hic autem puer* (*Isa.* c. 7, v. 16) *non est Emmanuel, cuius proxime antecesserat nomen* (nempe ibid. v. 14), *sed aut hic filius Isaiae* (*Isa.* c. 8, v. 3 et 4), *aut quicumque alius, qui tunc esset in lucem editus*. Similiter *cl. Bergier* (3), cuius vestigiis in hac quaestione insisto, negat, puerum illum cit. v. 16, esse *Emmanuel*. Verum etiam negat, eundem esse filium *Isaiae* (cit. cap. 8, v. 3) recens natum, aitque esse potius alterum *Isaiae* filium adultiorem, *Scear Iasub* dictum, quem ad vaticinandum secum iussu Dei tunc adducebat (4). Atque hanc sententiam etiam nos amplectimur, et cum laudato auctore dicimus: III. Puer, de quo sermo est (*Isa.* c. 8, v. 16) non est filius *Isaiae* ex prophetissa recens natus, de quo (*Isa.* c. 8, v. 3 et 4) sermo fit; sed est filius adultior *Isaiae Scear Iasub* dictus, quem *Isaias* iussu Dei tunc secum adduxit; uti sequentibus rationibus ostenditur. PRIMO: Si tam in versu 16 capitis septimi, quam in versu 3 et 4 capitis octavi idem filius *Isaiae*, nempe ex prophetissa recens natus est מוהר שלל *Maher Scälal* nominatus, dicatur intelligi debere, oritur contradictio. Nam in cap. 7, v. 16, sacer textus habet: *Antequam sciat puer reprobare malum*

(1) Vide supra prope finem num. 75.
(2) Commentar. in IV. Reg. c. 16, pag. 1542. Edit antverp. an. 1624.

et eligere bonum; in cap. 8 autem v. 4 dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam*; sed hae duae epochae non sunt una eademque. Infans enim in tertio aetatis suae anno potest loqui et vocare patrem suum et matrem suam; at primum in septimo anno ordinarie gaudet usu rationis, ac discernit inter bonum et malum. Igitur in cap. 7, v. 16 non est sermo de eodem puero, de quo cap. 8, v. 4 sermo est. Si autem dicatur (prout nos cum *cl. Bergier* dicimus), quod *Isa.* c. 7, v. 16, de filio *Isaiae*, *Scear Iasub* dicto, qui tunc 4 circiter annorum puer fuisse ponitur, sermo sit; in altero vero textu (nempe *Isa.* c. 8, v. 3 et 4) de filio *Isaiae*, *Maher Scälal* appellato, et proxime nascituro, omnia facile conciliantur, et eadem epocha liberandae a duobus hostilibus regibus Hierosolymae prodit. Nimirum, antequam adultior filius *Isaiae* perveniret ad aetatem, qua usu rationis uti, et inter bonum et malum discernere posset, et antequam alter eiusdem prophetae filius loqui, et patrem matremque suam vocare posset, h. e. antequam biennium vel triennium elaberetur, duo regna illorum hostilium regum *Rasin* et *Phacee* vastanda erant; id quod etiam factum est (5). SECUNDO: Si solus filius *Isaiae Maher Scälal* dictus, de quo in cap. 8 sermo est, fuisset datus in signum brevi liberandae Hierosolymae, isque ille ipse esset, de quo cap. 7, v. 16 sermo est, non apparet ratio, cur Deus *Isaiam* iusserit, alterum adultiorem filium suum *Scear Iasub* dictum secum ad vaticinandum adducere (6): si autem dicatur, quod cap. 7, v. 16 sermo sit de *Scear Iasub*, facile

(3) Loc. cit. § 5. (4) *Isai.* c. 7, v. 3.
(5) Vide supra num. 74.
(6) *Isai.* c. 7, v. 5.

redditur ratio (quam etiam interpretes unanimiter afferunt) cur Deus cit. loc. *Isaiam* iusserit, filium suum *Scear Iasub* dictum ad vaticinandum secum adducere, ut scilicet hic puer suo nomine esset in signum brevi restaurandi regni Iuda ab hostibus vastati, ut mox distinctius explicabimus. TERTIO: Si solus *Maher Scälal* fuisset datus in signum brevi liberandi regni Iuda, non potuisset *Isaias* cum veritate dicere in numero plurali (1): *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum Israël*. Iam vero iuxta nos id verissimum est; quia iuxta nostram modo explicatam doctrinam his *Isaiae* verbis indicatur uterque eius filius, nempe adultior *Scear Iasub* dictus, quem *Isaias* iussu Dei ad regem *Achaz* secum adduxit vaticinaturus, et alter postea recens conceptus ex prophetissa, *Maher Scälal* dictus, quorum uterque suo nomine fuit in signum et portentum Israël, ac praefiguravit liberationem regni Iuda, et cladem regni Israël et Syriae. Nam nomen hebraeum שׂאֵר יִשׁוּב *Scear Iasub* (2) ex duabus dictionibus compositum significat *reliquum redibit, vel reliquiae convertentur*. Ex quo rex *Achaz*, et populus regni Iuda facile colligere poterant, illos iudaeos, quos praesentium temporum iniquitas patria exulare, aut

(1) *Isa.* c. 8, v. 18.

(2) Nostra vulgata latina, et 70 interpretes hunc *Isaiae* filium decurtato nomine appellant *Iasub*; nam nomina propria non raro decurtantur, ut cum *Iudamaea* vocatur *Duma* *Isai.* c. 21, v. 14, aut cum *Ierusalem* vocatur *Salem*, *Genes.* c. 14, v. 18, aut cum *Bethleemites* vocatur *Lemites*, I. Paral. c. 20, v. 5. Taceo quaedam alia huiusmodi exempla. Ceterum in textu hebraico (*Isai.* c. 7, v. 5) est *Scear Iasub filius tuus*; filius ergo ille dictus est *Scear Iasub*. Unde illud *derelictus*, pro quo in textu hebraeo ponitur *Scear*, iuxta *Sanctium*, et plures alios

in captivitatem hostium incidere coëgit, postliminio redituros, vel populum regni Iuda, qui male ab hostibus vexatus fuerat, quique a Deo videbatur esse derelictus, ad priorem statum et gloriam quodammodo rediturum. Nomen vero alterius filii recens concepti *Maher Scälal* i. e. *Velociter spolia detrahe*, indicabat, regna hostilia Syriae et Israël cito fore spolianda, ut adeo duo *Isaiae* filii suo nomine fuerint revera aenigma, prodigia, et oracula spirantia, seu figurae dictorum eventuum brevi futurorum. Bene enim hic notandum est, quod Deus non tantum per verba, res et symbola, sed etiam per nomina solet prophetare. Sic *Oseae* prophetae praecepit, proles suas (3) nuncupare, *Absque misericordia... Non populus meus*. Similiter igitur *Isaias* Dei iussu illis duobus filiis suis nomina *Scear Iasub*, et *Maher Scälal*, ut dictos eventus praefigurarent indidit. Audiamus iam contra expositionem nostram *Isaiae* hucusque propositam

ARGUMENTA CONTRARIA

76. ARGUMENTUM I. Haec expositio asserit, quod ille puer (*Isa.* c. 8, v. 3 et 4) fuerit filius *Isaiae* ex uxore sua recens natus: sed hoc dici nequit. prob. min. De eodem puero (cit. loc. v. 4) LXX inter-

perinet quoque ad nomen illius filii *Isaiae*, et totum nomen est *Scear Iasub*, quod valet idem ac *derelictus redibit, seu reliquiae convertentur*; quasi in nomine huius filii sui, quod instinctu divino proli suae indidisse censendus est, praedicat *Isaias* fore, ut regnum Iuda a vexatione hostilium regum sit liberandum, ut mox explicabimus. Porro nomen proprium huius filii *Isaiae* esse *Scear Iasub* ex duabus dictionibus compositum, tenet *Pagninus* et *Vatablus*, *Osorius*, *Forerius*, *Sanctius*, *Cornelius a Lap.* et *Tirinus*, quos, si malis, consulere poteris.

(3) *Osee* c. 1, v. 6 et 9.

pretes dicunt, quod spoliabit Samariam. Nam ubi vulgata latina habet: *Antequam sciat puer vocare patrem et matrem suam auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae, etc.*, Septuaginta vertunt; accipiet (nempe hic puer) fortitudinem Damasci et spolia Samariae. Atqui hoc non convenit filio Isaiae, sed soli Christo. Ita *Cornelius a Lap.* (1) contra expositionem, quam nos amplectimur. R̄. Dist. mai. Haec nostra expositio asserit, quod ille puer fuerit filius Isaiae, etc., ipso tamen nomine suo praefigurans celerem ablationem fortitudinis Damasci, et depraedationem Samariae, conc.; secus, neg. Hoc ipso autem, quod ille puer tam velocem de hostibus regni Iuda reportandam a rege assyriorum victoriam nomine suo (2) praefiguraverit, aliquo sensu, nempe figurate, dici potest accepisse seu abstulisse fortitudinem Damasci et spolia Samariae, hoc nimirum modo: *Accipiet*, idest, accipienda portendet fortitudinem Damasci et spolia Samariae.

Ceterum aliam adhuc responsionem nobis suggerit s. *Chrysostomus* ad solvendam allatam obiectionem, quae eum non absterruit, quominus filium prophetissae (Isa. c. 8, v. 3 et 4) diceret fuisse filium Isaiae ex uxore sua recens natum. Nam postquam graecus ille s. pater (3) citavit Isaiae (cap. 8, v. 3) verba: *Et accessi ad prophetissam*, immediate addit istam horum verborum expositionem: *Hoc forsitan nomine (prophetissae) suam uxorem (propheta Isaia) ideo vocavit, quod spiritu prophetico habita esset digna.* Dein post intervallum recitat modo dicti capituli 8, vers. 4,

(1) Commentar. in Isai. c. 8, v. 3.

(2) Vide praeced. num. 73 ad finem.

(3) In enarratione in cap. 8 Isaiae, quae continetur in tom. 4 operum huius

non prout eundem habet vulgata latina, sed prout eum vertunt LXX interpretes, nempe sic: *Quia antequam sciat puer vocare patrem et matrem, accipiet fortitudinem Damasci, et spolia Samariae*, ac mox hunc versum exponit, ita pergens: « Quod autem (propheta Isaia hoc loco) dicit, tale est: In tempore aetatis puerilis, nec adhuc maturae et necdum compotis loquendi, quae ad victoriam et trophaeorum erectionem spectant (scilicet ablatio fortitudinis Damasci et spoliiorum Samariae) fiet. Non quod puer (de quo ille versus quartus loquitur) possit adversum hostes aciem instruere et bella dirimere; sed quod ea aetate infantis, hoc est illo tempore, priusquam scilicet puer diserte loquatur, universa tradentur manibus hostium. » Hucusque s. *Chrysostomus*. Ex quibus huius s. patris verbis patet, quod is censuerit, verba illa citati textus graeci, *antequam sciat puer vocare patrem et matrem, accipiet fortitudinem Damasci et spolia Samariae* non habere hunc sensum, quod ille puer in persona sua consideratus accipiet i. e. auferet fortitudinem Damasci et spolia Samariae, sed quod haec auferenda sint ea aetate infantis, seu illo tempore, priusquam puer ille sciat diserte loqui. Atque hoc etiam factum est, ut iam supra (4) ostendimus.

77. ARGUM. II. Iuxta nostram expositionem num. 74 et 75 allatam Isaia cap. 7 et cap. 8, identidem variaret, et eodem quasi halitu modo de Christo et b. Virgine, modo de uxore et liberis suis vaticinaretur. Nam c. 7, v. 14 et 15 sermo esset de Christo et b. Virgine; versu autem 16, immediate sequenti de

s. patris, mihi pag. 596 et seq., edit. antverp. an. 1614.

(4) Vide supra num. 74.

Secar Iasub filio suo. Porro cap. 8, v. 3 et 4 loqueretur de uxore sua, et de altero filio suo *Maher Scalal* dicto, etc. Atqui tanta variatio in vaticinando non videtur verisimilis. CONFIRMATUR. Ille puer de quo Isai. c. 8, v. 3 et 4 sermo est, in eodem capite 8, v. 9 vocatur *Emmanuel*: *Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel*: quod nomen nulli filio Isaiae competit; ergo puer, de quo Isa. c. 8, v. 3 et 4 sermo est, non est *Maher Scalal* filius Isaiae; prout denuo observat *Cornelius a Lap.* (1).

R̄. Conc. mai., nego min. Nam ipse *Cornelius a Lap.* (2) cum aliis interpretibus praeter alios canones seu regulas intelligendi prophetas statuit canonem ordine quartum, in quo fuse et per varia exempla ostendit, quod prophetae saliant repente ab uno ad aliud, a figura ad figuratum aut vicissim, citatque in hanc rem s. *Hieronymum*, qui (3) ait: *Hinc vel maxime obscuri sunt prophetae, quia repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur.* Porro ibidem post intervallum *Cornelius a Lap.* ita pergit: « Sic Isaia c. 7, a liberatione iudaeorum et Achaz de manu *Rasin* regis Syriae, et Phacee regis Samariae subito transit ad partum Virginis et *Emmanuelis* ortum, ac liberationem hominum e potestate diaboli per Christum, cuius illa erat typus. Sic saepe vastitatem urbis (*Hierosolymae*) miscent cum excidio orbis, et die iudicii, cuius illa (*devastatio Hierosolymae*) fuit speculum et praelu-

(1) Loc. cit.

(2) Commentario in 4 prophetas maiores, ubi ad initium huius operis ponuntur *Canones Prophetis facem praeferentes*, et canon quidem quartus mihi pag. 21 et 22, edition. Antverp. an. 1689.

(3) Sub initium commentar. in c. 2, *Nahum*.

dium (4). » Ceterum quamvis iuxta nostram expositionem in cap. 7 et 8 magna sit variatio personarum, prout praesens obiectio recte dicit; tamen haec variatio non sine gravi ratione a nobis asseritur; ut ex supra dictis (5) abunde colligi potest.

Ad CONFIRMAT. R̄. negando suppositum, quod puer, de quo Isa. c. 8, v. 3 et 4, sermo est, sit *Emmanuel*, ad quem ibidem v. 8 propheta suspirat. Ille enim v. 3 et 4, est filius Isaiae ex prophetissa genitus, et *Maher Scalal* iussu Dei nominatus: *Emmanuel* autem v. 8 est ipse Christus, ut iam supra (6), observavimus. Cum enim *Isaia* ibi regni Iuda afflictionem futuram praediceret, subito more prophetarum se convertit ad *Emmanuel*, i. e. ad Christum tanquam dominum terrae Iuda. Ceterum haec responsio nostra denuo prorsus conformis est doctrinae ipsius *Cornelii a Lap.*, qui praesentem obiectionem nostrae expositioni capituli 8 Isaiae opponit. Ipse enim celeberrimus hic interpres in citato canone seu regula 4 intelligendi prophetas inter alia ita dicit: « Hinc rursum, cum aliqua umbra sese ostendit Messiae, aut aliquid quod ipsius memoriam excitat, excitatur propheta, et affectu magno in eum rapitur... Deinde quasi de stupore et extasi se ipsum recipit, ac ad institutam narrationem sese refert. Itaque, data occasione, repente quasi per suspirium propheta avolat ad Christum, quasi ad scopum, amorem et delicias suas, moxque redit ad historiam vel materiam coeptam. Exempla sunt Isaiae c. 16, v. 1, ubi cum

(4) Imo ipse summus propheta, Christus Dominus, Matth. c. 24, sub excidio urbis Ierusalem tanquam typo seu figura depingit excidium orbis in fine mundi tanquam figuratum, et ab illo ad hoc transit, ac utrumque coniungit.

(5) Num. 74 et 75. (6) Num. 64.

praediceret excidium Moab per chaldaeos, praevidens Christum ex Moab per *Ruth* moabitidem nasciturum, subito ad eum avolat dicens: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion*; moxque post hoc suum suspirium, quasi per parenthesin insertum, redit ad vaticinandum cladem Moab. » Similiter igitur etiam nos merito dicimus, verba illa Isa. c. 8, v. 8: *Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel!* repentinum suspirium prophetae ad Christum, quin ideo sequatur, quod etiam puer praecedente vers. 3 et 4, sit *Emmanuel*, aut Christus ex Virgine natus.

78. ARGUM. III. Expositio supra num. 74 et 75 allata non satis cohaeret cum verbis *Isaiae*, et cum historia. Nam regnum Samariae eversum est anno 6 regis Ezechiae cum puer ille *Isaiae*, de quo Isa. c. 8, v. 3 et 4 sermo est, iam pridem sciret vocare patrem et matrem; erat enim tum facile 16 annorum. Neque iuvat respondere, tunc quidem eversum esse regnum Samariae, sed longe ante coepisse assyrios eam depraedari, quod solum praedixit *Isaia* cit. loc. dum ait, *auferenda spolia Samariae, antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam*. Nam contra est: *Isaia* non tantum depraedationem, sed et interitum regni praedicit; nam cap. 7, v. 8 expresse ait: *Adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim* (h. e. re-

gnum Samariae) *esse populus*. Ita denuo *Cornelius a Lap.* (1). R. Negando suppositum, quod in verbis illis (Isai. c. 8, v. 4): *Antequam sciat puer vocare patrem et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae*, sermo sit de omnimodo excidio Samariae, sed duntaxat hoc loco sermo est de depraedatione Samariae, ut ex eo haud obscure colligitur; quia propheta ait, *auferenda esse spolia Samariae*. Atque hoc revera per *Theglathphalasar* regem assyriorum (2) factum est, antequam puer ille sciebat vocare patrem et matrem suam; uti iam supra (3) a nobis ostensum est. Post plures (4) autem annos *Salmanasar* rex Assyriae et successor *Theglathphalasaris*, capta Samaria, reliquias decem tribuum captivas duxit et transtulit in assyrios (5); atque hic fuit finis regni Israel, et tunc impletum est illud: *Ephraim* (6) *desinet esse populus*; prout *Isaia* (c. 7, v. 8) praedicit.

Aliam adhuc responsionem ad allatam hic obiectionem iterato (7) affert *Sanctius*, docens, *Ephraim* seu regnum Israel post magnam illam cladem, quam acceperat tempore *Phacee* (IV. Reg. c. 15, v. 29) iam dici posse, devastatum, seu excidium esse passum, etsi plenus et perfectus interitus non nisi post plures annos secutus sit; quia aliquid tunc factum dicimus, aut completum, cum bona ex parte coeptum est fieri. Atque hunc modum loquendi laudatus auctor etiam ex-

Israel usurpatur. Vide *Calmeti* dictionarium biblicum: *Ephraim*. Rationem autem, cur *Ephraim* sumatur pro toto regno Israel, *Sanctius* (commentar. in Isai. c. 8, v. 4) assignat istam: quia ex tribu *Ephraim* ortus fuit *Ieroboam*, qui primus omnium regnum illud obtinuit.

(7) Commentar. in IV. Reg. c. 16, v. 7, n. 9. Et commentar. in Isai. c. 8, v. 4, n. 9.

(1) Commentar. in Isai. c. 8, v. 3.

(2) IV. Reg. c. 15, v. 29.

(3) Num. 74 in nota (6).

(4) V. *Calmeti* tabulam chronologicam generalem historiae biblicae (ad calcem dictionarii biblici eiusdem auctoris positam) ad ann. mundi 5264 et 5285.

(5) IV. Reg. c. 17, v. 6.

(6) Non raro nomen *Ephraim* pro toto regno decem tribuum, seu pro toto regno

emplis s. Scripturae confirmat. Sic, ait, Dan. c. 9, anno primo Darii completi esse dicuntur septuaginta anni desolationis Ierusalem, cum tamen septuagesimo illinc anno non desolata fuerit, sed desolari coepta.

79. QUARES V. Quo sensu (Isa. 18, v. 2) de rege Aethiopiae dicatur: MITTIT IN MARE LEGATOS IN VASIS POPYRI. An navibus papyraceis traicitur mare? R. In vasis popyri, i. e., in navibus ex papyro arbore confectis, qui ut moris est in Aethiopia et Aegypto, teste *Herodoto* (1), qui scribit, aegyptios suas naves ex iunco fabricare. Est enim papyrus (2) arbuscula vel frutex iuxta Nilum nascens: sicut apud nos nascuntur iunci in locis palustribus, vel marginalibus fluminum. Id ipsum testantur *Theophrastus* (3), *Plinius* (4) et *Lucanus* (5) ita canens: *Conseritur bibula memphytis cymba papyro*. Porro, quia aegyptii ex eadem arbore, eiusque foliis tenui phylura, acu deducta faciebant chartam ad scribendum, teste eodem *Plinio* (6); ideo chartae nostrae, licet ex contritis linteis factae, quia tamen eundem scribendi usum praebent, *papyrus* vocantur.

80. QUARES VI. Quo sensu (Isa. 18, v. 2) dicatur: CONCURRERE FACIAM AEGYPTIOS REGNUM ADVERSUS REGNUM, cum tamen Aegyptus non sit nisi unicum regnum? R. Sensum esse: *Concurrere faciam regnum adversus regnum*, id est, provinciam adversus provinciam, ut septuaginta habent; vel satrapiam, seu praefecturam unam adversus aliam. Cum enim assyrii Aegyptum invaderent, quaedam provinciae seu

praefecturae assyriis sese dedere volentes, insurrexerunt etiam armis adversus alias, quae se dedere volebant. Qua dissensione et mutua caede factum est, ut *Sennacherib* nullo negotio subiiceret Aegyptum; prout etiam loc. cit. indicatur. Totus enim versus ita habet: *Et concurrere faciam aegyptios adversus aegyptios, et pugnabit vir adversus fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum*, id est, provincia adversus provinciam. Aegyptus enim tunc in duodecim partes divisa erat. Ita *Calmetus* cum aliis.

81. QUARES VII. Num verisimile sit, quod Deus (Isa. 20, v. 2) *Isaiam* iusserit, exulis vestibus, nudum incedere, ad praesignificandum, quod aegyptii et aethiopes nudi ab assyriis abstrahendi sint in captivitatem? Num mandatum, quod pudicitiae repugnat, potest esse divinum? Ita complures increduli (7) ad deprimendam auctoritatem Scripturae et prophetarum. Verum hanc obiectionem alibi (8) iam solvimus. Hinc pluribus eam refellere hic supersedeo.

82. QUARES VIII. Quomodo concordet dictum *Isaiae* (cap. 23, v. 17): POST 70 ANNOS REDUCET DOMINUS TYRUM AD MERCEDES SUAS, cum effatu *Ezechielis* (26, v. 14) de Tyro dicentis: NON AEDIFICABERIS ULTRA. Et (v. 21): NON INVENIERIS ULTRA IN SEMPITERNUM. An haec non repugnant verbis *Isaiae* modo citatis? R. Certum est, quod post illos 70 annos urbs *Tyrus* dicta extiterit, prout patet ex citato *Isaiae* loco, et

(1) Lib. 2.

(2) Vide *Cornel. a Lap.* commentar. in Exod. c. 2, v. 5.

(3) L. 4 histor. plant.

(4) L. 7, c. 56.

(5) L. 4.

(6) L. 15, c. 11.

(7) *Philos. de l'hist.* c. 45, p. 22. *Essai sur la tolérance*, c. 12, note f. p. 125. *Examen important* c. 10. *Tindal.* c. 15, p. 251.

(8) Vide supra sect. 1, q. 6, n. 9-14.

ex eo, quod *Alexander M.* eam rursus expugnarit. Ad obiecta vero *Ezechielis* verba, omissis aliis responsionibus, dupliciter responderi potest. Nam primo dici potest cum *s. Hieronymo*, instauratam quidem fuisse *Tyrum* in urbem, sed nunquam pristinam suam gloriam et potentiam ab ea fuisse ex integro recuperatam. *Tyrus* enim ab eo tempore, quo a *Nabuchodonosore* eversa fuit, deinceps subfuit chaldaeis, graecis, romanis. Unde verba *Ezechielis* possunt habere hunc sensum: « Non recuperabis ultra pristinam tuam gloriam et dominatum. » Vel cum *Calmeto* (1) dici potest, duas *Tyri* urbes fuisse; *veterem* penitus a *Nabuchodonosore* eversam, quae nunquam in pristinum decus reversa est, et *novam* in insula, quae usque ad *Alexandri M.* tempora floruit. Iosephus enim (2) testatur, *Nabuchodonosorem* constituisse *Ithobal*, ut esset rex *Tyri*, cuius successores ibi usque ad *Alexandri M.* tempora imperitarunt.

83. QUÆRES IX. Quo sensu *Isaias* (cap. 33, 7) dicat: ANGELI PACIS AMARE FLEBUNT; cum tamen in coelo neque luctus, neque dolor locum habeat? R. negando suppositum, quod hoc loco per *angelos pacis* intelligantur spiritus angelici; sed intelliguntur nuntii (3) seu legati pacis, qui egressi sunt ad *Rabsacem* ducem *Sennacheribi*, pacis cum eo componendae causa (4) scilicet *Eliakim*, *Sobna* et *Ioahé*. Verum cum pacem a tyranno non impetrarent, sed potius minas et contemptus, videntes

(1) Commentar. in Isa. c. 23, v. 15. Et in Ezechiel. c. 26, v. 14.

(2) L. 1 contra *Appion*.

(3) *Angelus* est vox graeca ἄγγελος, et latine nuntium significat. Nam officii nomen est, non naturae, h. e., officium significat, non naturam. Hinc quia coelestes genii saepe a Deo ad homines mit-

praesentissimum urbis periculum, fleverunt, et *scissis vestibis* regi *Ezechie* in maximis angustiis constituto nuntiaverunt verba *Rabsacis* (5).

Si quis autem in sensu spirituali per *angelos pacis* cum *s. Hieronymo* intelligere velit spirituales praesides templi salomonici, lugentes, dum viderent, templum esse in periculo tantae cladis, is textum sumere debet in sensu improprio et figurato; sicut etiam Deus in *s. Scriptura* quandoque dicitur dolere, poenitere, irasci.

84. QUÆRES X. Quid sentiendum de expositione verborum *Isaias* (c. 40, v. 3, 4 et 5): VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI, RECTAS FACITE IN SOLITUDINE SEMITAS DEI NOSTRI. OMNIS VALLIS EXALTABITUR, ET OMNIS MONS ET COLLIS HUMILIABITUR, ET ERUNT PRAVA IN DIRECTA, ET ASPERA IN VIAS PLANAS. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI, ET VIDEBIT OMNIS CARO — QUOD OS DOMINI LOCUTUM EST. Quid, inquires, sentiendum de huius loci expositione, quam auctor famosi libri horus dicti affert? R. Sicut alia huius detestandi libri asserta, ita etiam haec expositio est prorsus gratis conficta, falsissima, et in contemptum *s. Scripturae* excogitata. Antequam hoc ostendam, observo, memoratum auctorem haec *Isaias* verba non de *s. Ioanne Baptista* praecursore Domini, sed de futuro regimine solis, seu puri coelestis ignis secundum magorum persarum doctrinam interpretari. Propria ipsius verba (6), quae ex germanico in latinum trans-

tuntur tanquam nuntii vel legati, vocantur *Angeli*.

(4) *Isai.* c. 36, v. 9.

(5) *Ibidem* v. 22.

(6) In suo *Horo* seu astrognostico iudicio de vaticiniis Messiam praenuntiantibus.

tuli, sunt haec: « Hoc loco noster videns (i. e., *Isaias*) utitur arcana doctrina persicorum magorum de futuro regimine solis, seu puri coelestis ignis. Audivit, quod sol in fine praesentis mundi dominatum, quem eidem apud aliquos populos impii planetae eripuerunt, recuperaturus, et tum omni inordinatione sublata, cunctos montes humiliaturus, cunctas valles exaltaturus esset. Quam ob rem (*Isaias*) sibi proponebat, vaticinium pro sua (*Iudaeorum*) natione inde confingere.

» Dominus, cui via paranda esset, erat sol, cui astra ab ortu in occasum veluti viam facilem et planam faciunt. Vates itaque (seu vox) in deserto non erat *Ioannes Baptista*, sed magus in Persia (qui hanc de sole doctrinam annuntiavit), et ille Dominus, cui astra viam pararent, potius solem, quam *Iesum* significare poterat.

Hucusque fanaticus ille auctor, de cuius scripturasticis expositionibus problema esto, an magis absurdae et heteroclitae, vel magis impiae sint et execrabiles.

Et profecto in citato *Isaias* textu: vox clamantis in deserto etc., primo statim intuitu patet, hoc loco ser-

(1) In citato textu *Isa.* c. 4, v. 5 et 5: Parate viam Domini... et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro — quod os Domini locutum est, in hebraeo semper ponitur *Iehova*, ubi in latino Domini positum est nomen.

(2) Vide supra sect. 1, q. 4, num. 5 et 6.

(3) Persicae philosophiae, quae tempore *Magorum* vigeat, et cuius sectatores etiam in Persia superstites esse dicuntur *Gavri* vel *Ghebri* dieti, persicae, inquam, huius philosophiae primum ac fundamentale dogma est, dari duo magna principia, unum lucem, alterum tenebras. Primum horum principiorum appellant *Oromasdem*, alterum *Ahrimanium*. Inter haec duo, aiunt, esse tertiam substantiam mediam, quam *Mithram* vocant. Lux seu *Oromasdes* iuxta doctrinam dictae persicae

monem esse de adventu magni cuiusdam regis, cui ubique parandam esse viam praeco aliquis ex deserto iudaeis acclamat, aperte asseverans, hunc regem esse ipsum יהוה *Iehova* (1): atque haec viae praeparatio sub magnificentissimo schemate humiliandi montes et colles, exaltandi valles, ac omnia complandandi proponitur et imperatur. Quomodo iam cum his concordat memorati auctoris expositio? Num sol unquam dictus est *Iehova*? An unquam persicum magum, tanquam vocem clamantem in deserto ab ullo describi aut nominari legitimus? Quis credat, quod *Isaias* propheta tam sanctus a magis Persiae doctrinam aliquam mutuatus sit, qui omnem superstitionem ethnicam iuxta praecceptum Domini summopere aversabatur (2)? *Isaias*, inquam, qui capitale errorem magorum in Persia, dari duo principia rerum, unum bonum, alterum malum (3), palam refellit, dum cap. 45, v. 5-8 in persona Dei ita ait: « Ego Dominus, et non est amplius, extra me non est Deus.... Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum (4): ego Dominus

philosophiae est principium omnis boni; tenebrae seu *Ahrimanus* est principium omnis mali. *Oromasdes* dominatum tenet in naturas aeternas; *Mythra* in aeviterna; *Ahrimanus* in res terrenas et transeuntes, seu in corruptibilia. Plura de hac persica philosophia refert *lexicon universal. lipsiens.* tom. 27, art. *persische Philosophie*, citans in hanc rem *Plutarchum* de *Isid.* et *Osirid.* p. 569. *Diog. Laertium* in proem. *Io. Christoph. Wolff.* de *Manich.* ante *Manichaeos*, p. 51.

(4) Hoc loco per τὸ malum non intelligitur malum culpa, seu peccatum (Deus enim non est auctor peccati, ut *Calvinus* blasphemavit), sed malum poenae, h. e. pestis, fames, bellum, servitus, captivitas, et quidquid hominem affligit. Nam sensus citati loci est: Ego Dominus... faciens pacem, h. e. dans prosperitatem

faciens haec omnia. » In quo textu, quoties in vulgata nostra ponitur vox *Dominus*, toties in hebraeo ponitur vox *Iehova*. Quis autem non videt, *Isaiam* his verbis praecipuum antiquae philosophiae persicae dogma de duobus principiis et veluti Diis aperte impugnare? Quis proinde credat, eundem prophetam suam doctrinam, et vaticinia ex dicta philosophia male intellecta, aut male applicata confinxisse; praesertim cum in eodem 45 capite statim initio (nempe v. 1, 2, 3) *Cyro*, qui primum ducentis annis post hanc *Isaiae* prophetiam extitit, quemque v. 1 hic propheta expresse nominat, victorias a Deo concedendas praedicat his verbis: « Haec dicit Dominus Christo meo *Cyro*, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes... Ego ante te ibo: et gloriosos terrae humiliabo... et dabo tibi thesauros absconditos... ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. » Num *Isaia* etiam hanc notitiam de *Cyro* post ducentos primum annos extituro, et de victoriis ipsi a Deo concedendis ex philosophia persica, vel ab aliquo mago persico accepit, aut potius a Deo ipsius mentem prophetico lumine collustrante (1)?

COROLLARIUM I. *Vox clamantis in deserto* (Isa. 40, v. 1) non erat aliquis magus in Persia hominibus annuntians, quod sol regimen suum in fine mundi recuperaturus sit; sed est *Ioannes Baptista*, qui reapse mensuram huius nominis implevit, in deserto homines adhortatus ad poenitentiam, eosque stimulans, ut Domino viam praeparent: Dominus

(nam *pax* hebr. significat quietem, opulentiam, et bonorum omnium affluentiam), et *creans malum* v. g. pestem, famem, aut alias afflictiones.

(1) Vide supra sect. 4, q. 7, n. 15-19.

autem ille est *IESUS Nazarenus*, cuius *Ioannes Baptista* praecursor erat. *IESUS*, inquam, verus *Messias*, et ipse *Iehova*, de quo *Isaia* in eodem capite v. 10 et 11 ad civitates Iuda nomine Dei ait: « Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur: ecce merces eius est cum eo, et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit: foetas ipse portabit. » Certe, qui amorem *IESU* erga genus humanum penitus novit, eundem his verbis depingi facile agnoscat, memor illius similitudinis apud s. *Lucam* cap. 15, v. 5, ubi amantissimus Servator comparat se pastori, qui ovem errantem in humeros tollit, et ad ovile reducit: aut memor illorum eiusdem verborum apud s. *Ioannem* cap. 10, 11 ita loquentis: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus. » Et v. 27 et 28: « Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. »

COROLLARIUM II. Ex dictis etiam patet, quam futile, absurda et impia pariter sit expositio, qua *Horus* modo citata *Isaiae* (cap. 40, v. 11) verba: *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit: foetas ipse portabit*, hunc in modum interpretatur: « Id est: supremus Deus, seu pura lux (hoc nomine *Horus* conformiter suo systemati solem designat) in posterum sub novo suo regimine omnia astra, sicuti pastor gregem suum, in caelo pascet: ea caute custodiet, nec amplius permittet, illa mane a ferocibus lupis devorari, multo minus foedum draconem tolerabit, qui in

praesenti male constituto mundo tot mala soli, lunae et stellis infert. » Ita *Horus*. Sed quis sanae mentis homo sibi persuadeat, *Isaiam* virum tam sapientem, tam sanctum suis illis verbis tam heteroclitas et insanas fabulas iudaeis annuntiare voluisse? Credat hoc iudaeus *Apella*.

85. QUÆRES XI. *Quomodo explicatur illud* (Isa. 45, 13): *IPSE (nempe Cyrus) AEDIFICABIT CIVITATEM MEAM; cum tamen diu post mortem Cyri* (II. *Esdrae* 2, v. 8) *anno vigesimo Artaxerxis Longimani Nehemias primum impetraverit licentiam aedificandi Ierusalem?* R. Haec ita conciliantur. *Cyrus* aedificavit Hierosolimam, sed inchoate tantum, iubendo ruinas eius instaurari 1 *Esdrae* c. 1. Licet enim hoc loco tantum de restaurando templo explicata mentio fiat; tamen non est praesumendum, quod *Cyrus* iubens iudaeos ascendere in *Ierusalem*, ibique aedificare templum, voluerit hoc stare in loco deserto sine circumstitis aedificiis speciem inchoatae urbis referentibus. Praeterea *Esdras* ibi expresse addit: *ut compleretur verbum Ieremiae*. Sed *Ieremias* (1) non solum de restoratione templi, sed etiam urbis Hierosolymae vaticinatus est his verbis: « Haec dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserabor, et aedificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur. » Verum plura hac de re invenies in tractatu theolog. de incarnatione, auctore *Thoma Holzclau* num. 61 et seqq.

86. QUÆRES XII. *Quomodo Isaia* (cap. 52, v. 1) *his verbis: CONSURGE, CONSURGE, INDUERE FORTITUDINE TUA SION, INDUERE VESTIMENTIS GLO-*

RIAE TUAE IERUSALEM, CIVITAS SANCTI: QUIA NON ADICIET ULTRA UT PERTRANSEAT PER TE INCIRCUMCISUS ET IMMUNDUS, praedicere potuerit, per Hierosolimam, soluta captivitate babilonica, non amplius pertransiturum incircumcisum et immundum; cum tamen etiam post reditum ex captivitate babilonica, multa passa sit Hierosolyma ab Antiocho, Tito, et gentibus incircumcisis? R. Omisssa aliorum responsione, haec difficultas facillime videtur tolli, si cum cl. *Franc. Xaverio Widenhofer* (2) dicatur, hoc loco sermonem esse de Hierosolyma non terrestri, sed coelesti, seu de ecclesia triumphan- te in coelis, in quam nullus *incircumciscus* corde ac moribus, nullus *immundus* intrare potest. Ratio citatum textum ita explicandi est I. Quia hoc loco, ubi vulgata latina habet, *Consurge*, in hebraeo est *Evigila* (עורי 'Uri) *Sion!* sed evigilatio proprie fit, cum huic mundo mortui coelo evigilamus. II. Dicitur: *Induere vestimentis gloriae tuae Hierusalem!* Sed *vestimentis gloriae* in sensu magis stricto et proprio vestietur in coelo, ibique erit civitas sanctitatis (ut hebraicum habet) seu (ut *LXX* loquuntur) πόλις ἡ ἀγία quoad singulos suos cives seu membra. Excitat igitur hic Deus Hierosolimam terrestrem, sive ecclesiam militantem, ut evigilet ad gloriam, ubi erit civitas in sensu explicato perfecte sancta, quia tum non adiciet ultra; ut pertranseat per eam gloriosam *incircumciscus* corde ac moribus, quales iudaei sunt (Actor. 7, v. 51) *et immundus*; quia teste *Ioanne* (Apoc. 21, v. 27) *in eam (Ierusalem) non intrabit aliquod coinquinatum*.

87. QUÆRES XIII. *An verba illa* (Isa. 53, v. 2 et seqq.): *NON EST*

(1) Cap. 50, v. 18.

(2) Commentar. in Isai. c. 51, v. 1.

SPECIES EI, NEQUE DECOR: ET VIDIMUS EUM, ET NON ERAT ASPECTUS, ET DESIDERAVIMUS EUM DESPECTUM ET NOVISSIMUM VIRORUM, VIRUM DOLORUM, ET SCIENTEM INFIRMITATEM etc. *intelligenda sint de Christo patiente vel potius de gente iudaica in statu hodiernae humiliationis et afflictionis considerata, ut recentiores iudaei contendunt?* *¶* Allata verba *Isaiae* necessario intelligenda sunt de Christo patiente, non autem de gente iudaica. Nam non tantum *Iesus Christus* prophetiam *Isa.* c. 53 contentam de seipso interpretatus est (1), et illa de eodem intellexit et exposuit *Philippus* diaconus in actis apost. (2); sed etiam *Isaac Orobio* pertinacissimus iudaicus fassus est (3), historiam passionis et mortis Christi ab evangelistis esse accurate transcriptam ex *Isa.* capite 53. Nemo tamen prudens aut sanae mentis homo ideo suspicabitur evangelistas eiusmodi historiam de Christo finxisse. Mox enim osoros christianae religionis, iudaei et gentiles, qui Christo et evangelistis coevi erant, fuissent protestati, et evangelistas mendacii arguissent. Summa igitur consensus est inter *Isa.* caput 53, et historiam Christi patientis. Et profecto propheta *Isaias* tam plene et fuse, adeo clare et plane Christi passionem et

(1) *Luc.* c. 22, v. 57, Christus de se ipso ait: *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me; et cum iniquis deputatus est.* Indicat nimirum optimus Servator his verbis illud *Isa.* c. 53, v. 12, de se scriptum: *Tradidit in mortem animam suam (pro nobis) et cum sceleratis reputatus est.*

(2) *Act.* c. 8, postquam narratum est, quod vir aethiops eunuchus Candacis reginae aethiopum petierit a *Philippo* sibi explicari, de quo propheta ille locus *Isai.* c. 55, v. 7: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum, etc.* intelligendus sit, *Philippus* ei respondit, de *Iesu* intelligendum esse Nam *Act.* c.

ignominiam hoc capite pertractat, ut non prophetam, sed evangelistam agere, neque futura praedicere, sed facta et visa narrare videatur. Quocirca hoc caput, ut *Cornelius a Lap.* (4) ait, inscribi posset, PASSIO IESU CHRISTI SECUNDUM ISAIAM. « Tam luculenter enim (pergit insignis hic interpres) eius dolores, condemnationem, verbera, mortem, sepulturam, locum, causam, fructus, socios denique latrones hic describit, ut iudaei nihil habeant hic quod obiiciant aut respondeant, nisi sua somnia (scilicet hoc capite describi afflictionem et despectum populi iudaici, quem iam patitur a christianis et turcis): quae tamen ipsius prophetae verbis mendacii et falsitatis statim convincuntur, uti eos convincit *s. Ierrenaeus* lib. 4, 56. *Iustinus* contra *Tryphonem*, *Tertullianus* contra iudaeos cap. 9, *Eusebius* 3. demonstr. c. 2, *Cyprianus* l. 2 contra iudaeos cap. 13, *Chrysost.* orat. 3 contra iudaeos et alii. Quin et chaldaeus haec de Christo (seu Messia) non de populo accipit: sic enim vertit sub finem capituli 52, v. 13 (5): *Ecce prosperebit servus meus Messias, exaltabitur...* Sic et *R. Moyses* gerundensis in cap. 29 *Genes.* Quocirca *s. August.* lib. 1 de consensu evangel.

8, v. 55, subditur, *Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi (eunacho) Iesum.*

(5) Ita de *Orobio* iudaeo refertur in *Philippi Limborch* opere, *Amica collatio cum Iudaeo*, dicto p. 404. Auctor enim iste quaedam colloquia seu collationes de religione cum *Orobio* instituit, quae dein titulo *Amica collatio cum Iudaeo* inscriptae, Basileae, an. 1740 in lucem editae sunt.

(4) In *Synopsi Isai.* cap. 53.

(5) *Isai.* c. 52, v. 15, incipit propheta loqui de Christo seu Messia, de quo postea cap. 53, sermonem suum continuat; prout pluribus mox ostendemus.

cap. 31 putat, haec de Christi passione et resurrectione vaticinia explicatione non indigere. Nimirum e- gent potius pia meditatione, vivaci sensu et lacrymis. » Hucusque *Cornelius a Lap.* Praeterea verba *Isaiae* (incipiendo a capite 52, v. 13 usque ad finem sequentis capituli 53) ab omnibus priscis expositoribus, tam qui Christi antecesserunt adventum, quam qui post Christum passum extiterunt, non nisi de Messia exposita sunt; sicut ipse quoque *Rabbi Scelomo* (quantumvis adversarius, et sententiae recentiorum iudaeorum defensor) aperte testatur, dum verba illa *Isa.* 52, v. 13: *Ecce intelliget servus meus* cum reliquis exponens, sic ait: *Magistri nostri totum hoc de Messia intelligi affirmant.* Ex quibus omnibus satis manifeste patet, quod omnia *Isaiae* verba ab eo loco (cap. 52, v. 13): *Ecce intelliget servus meus*, usque ad finem 53 capituli, ab antiquis iudaeorum sapientibus de Messia intellecta fuerint. At recentiores rabbini *Rabbi Scelomo*, *Rabbi David*, ac alii, cum tantam inter historiam evangelicam de passione et morte *Iesu Nazareni*, et verba illa *Isaiae* cap. 52, v. 13 usque ad finem capituli 53 viderent consensionem, nec tamen *Iesum Nazarenum* verum Messiam vellent agnoscere, negarunt in citatis *Isaiae* verbis sermonem esse de Messia, sed illa de gente iudaeorum hodie tantopere afflicta et humiliata exponebant.

88. Verum quod illa *Isaiae* verba nullatenus iudaeorum populo in hac novissima afflictione et tribulatione existenti, applicari possint ostendo sequentibus argumentis. I. Citato cap. 53, v. 4 *Isaias* dicit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est pro-*

(1) In opere suo *Munimen Fidei* nuncupato, sect. 1, c. 22, p. 159, 162.

pter scelera nostra. At quaeso, quomodo haec verba sine violenta distorsione de iudaico populo intelligi possunt? Respondet quidem *Isaac Orobio* (1), et ait, Deum poenas, quas nationes iudaeis infestae promeruerunt, iudaico populo infligere atque hunc loco omnium aliarum nationum punire. Ceteras enim nationes in oculis divinis adeo viles et despectas esse, ut Deus non maiorem earum curam habeat, quam brutorum animalium, et ne quidem easdem in scelera ruentes punire dignetur. Quare ceteras nationes per vulnera populi iudaici sanari; qui dum aliarum gentium persecutiones patitur, insuper oret pro suis persecutoribus, et Deo supplicet pro venia eisdem impetranda. Verum, quod falsa una hac responsione *Orobio* iudaicus effudit? Falsum enim est, quod Deus per *Isaiam* cit. cap. 53 dicat, populum iudaicum percuti propter scelera aliarum gentium. Nam prorsus nullum vestigium huius rei ibi invenitur. Falsum quoque est, quod iudaicus populus pro gentibus persecutoribus suis oret: imo teste *Galatino* (2) iudaei non solum non orant pro aliarum nationum salute, sed potius pro earum destructione, et praesertim pro romani imperii et ecclesiae christianae pernicie ac perditione: existimantes, quod post romani imperii defectionem, atque ecclesiae Christi destructionem, mox a praesenti afflictionis suae statu liberandi sint. II. *Isaias* de eodem servo Dei vulnerato, attrito etc. cap. 53 loquens, v. 9 ait: *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius:* atqui hoc de populo iudaico, ut *Petrus Galatinus* cit. loc. ait, « aperte falsum est, ut per rei evidantiam liquido patet:

(2) In opere suo *Arcanis catholicae veritatis*, lib. 8, c. 15, p. 557.